



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Quicquid ex carnali generatione prouenit, peccatum est

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

cata fuerunt in conspectu Domini, & maledicta. Id quod D. Augustinus passim tam diligenter probat claris & inuictis testimoniiis scripturarum, ex quibus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 25. concludit omnium infidelium virtutes vitia potius esse quam virtutes. *Etiam ipse (inquit) talium virtutes vitia sunt potius quam virtutes. Quamobrem? Quia in Deum non diriguntur: tales enim Deum non cognoscunt, nec venerantur, quemadmodum a nobis agnosci ac coli vult.*

Hoc non tantum benè quadrat cum dicto Pauli, Rom. 1. verum etiam ex eo concluditur. Ibi enim scribit palam fieri iram Dei de cœlo aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qui veritatem in iniustitia detinent: propterea quod id quod de Deo cognosci potest, manifestum est, & a Deo patefactum: ipsis vero cum Deum cognoscent, eum tamen non ut Deum glorificarunt, neque grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas. Post hanc recenset Apostolus omnes venenatos fructus innatei impietatis, qui partim apud gentiles, partim apud Iudeos eruperunt. Vnde concludit, uniuersum mundum Deo obnoxium esse, & sub peccato: quodque omnes peccarint, & sint destituti gloriae Dei possintque per solum Christum, qui impium & peccatorem iustificat, ad iustitiam peruenire, Rom. 3. Ex quo loco D. Augustinus benè colligit, Cū Deus sit, qui peccatores iustificat, & Christus Dominus nos omnes, cum adhuc essemus inimici Dei, cum Deo reconciliari, omnes igitur qui nondum per Christum iustificati sunt, perpetuò impios ac hostes Dei manere.

Ex hoc vero non sequitur, Imaginem Dei in hominibus prorsus ac penitus esse extinctam: siquidem imaginem Dei in homine in eo collocare velimus, quod aliquam cognitionem ac voluntatem boni habeat, quemadmodum nonnulli Patrum & scholastici doctores faciunt.

Nam infideles quoque aliquem adhuc intellectum, voluntatem, ac memoriam boni habent, quæ etiam Dominus in ipsis in tantum ad id quod bonum est dirigit, ut propria conscientia eos accuset, quando cunque bonum illud non exequuntur: etiamsi sine spiritu regenerante verum bonum non recte cognoscere aut suscipere possint.

Si vero imaginem Dei in homine ponamus in cognitione & voluntate veri boni, quemadmodum S. scriptura, & antiquiores Patres de ea loqui solent, certissimum est eam in homine penitus esse extictam, ac necesse esse, ut tota per Christum Dominum restauretur. Vnde est quod renouatio nostri ad imaginem Dei Regeneratio dicitur, sine qua nemo hominum quicquam boni recte intelligere aut velle potest.

Hic non est qui intelligat, non qui exquirat Deum: omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui exerceat bonitatem, non est usque ad unum, Psal. 14. Verum de hoc copiosius in articulo de Peccato originali supra disputatum est.

Tertiò calumniantur Aduersarij, in preicatione quadam posita in libro Reformationis orari, non hoc tantum, ne Dominus imputet parvulo aut baptizato peccatum & iniustitiam Adæ, verum etiam ne parentum suorum totiusque populi peccata ei imputentur. Quam preicationem inauditam & a Catholica fide alienam esse scribunt.

Si